

HONOR EXEQVIALIS,  
VIRO CELEBERRIMO

DN. M. CHRISTOPHORO

**HANZLBRUCH**

Gymnasii Thorunensis Professori

Publico Clarissimo,

*COLLEGÆ, dum viveret, Coniunctissimo,*

Habitus

RECTORE, PROFESSORIBUS  
ac VISITATORIBUS ejusdem Gymnasii.

~~—————~~  
THORUNII *imprimebat* CHRISTIANUS BEKK, *Gymn. Typogr.*

† M. C. L. V. a. 1755. die 10. Julii obiit. Aet. 68. ann. 7. m. 10. d. 10. obiit. Aet. 68. ann. 7. m. 10. d. 10. obiit.

**M**ereretur sanè lacrymas, & largiores quidem, CHRISTOPHORI HARTKNOCHII funus, si, quod *Plinius de Virgilio Rufo* alias scribit, † *fas esset aut flere, aut omnino mortem vocare, quàm tanti Viri mortalitas magis finita, quàm vita est.* Vivit enim, vivetq; semper, atq; etiam latius in memoria hominum & sermone versabitur, postquam ab oculis recessit. Equidem Romani, ut Imperatorum animas in cœlum deferri notarent, pyræ funebri Aquilam imponebant, quæ despectus inferioribus flammis, intacta evolare, sicq; unâ sublimare animam putaretur. † Sed neq; Imperatorum ista duntaxat felicitas est, egredi humanam sortem, scq; diis miscere superis; neq; brutæ avis ministerium, eò deducere hominum animas. Quotqvot eximia Virtus præter cæteros ornavit; quotqvot doctrina super eruditorum evexit vulgus; hi omnes, pennâ solvi neciâ, in sublime quasi evolant: fama; nominis ab oblivione vindicatâ, adeo in posterorum memoriam immigrant, ut nomen eorum non temporis velocissimi fuga; non edax caries; non series annorum innumerabilis, posteritati queat subducere. Atq; huc quidem respexit *Lyricus*, se immortalitatem nominis, tamæ crescentis remigiô, vel post funera indepturum ratus, dum ait: †††

*Non omnis moriar, multaq; pars mei  
Vivabit Libitinam.*

Prævidebat scilicet gratum apud posteros animum; facileq; in eam ingressus est spem, non defutura olim decora ingenia, quæ tantum abest, ut ævo sequenti deteritura Ejus laudes; ut potius contra omnem vim ac injuriam temporû assertura sint. Quod ipsum si quis altiùs expendit secum, non vel gloriam perennem HARTKNOCHIANO Nomini derogaturus; vel fecundioribus etiam lacrymis, (nam & hæc facile inarescunt) questuq; ignavo (qualem *Germanicus*, morti vicinus, à suis amicis abesse voluit) †††† Defunctum profecturus est. Vindicant illam sibi meritò clarissimâ Ejus Scripta, quæ ut demortuos ungues ac subducta supercilia sapiunt; ita dubium non est, quin iisdem per Doctiorum ora volitaverit; & ad seram posteritatem, quæ suum cuiq; decus rependere solet, magis magisq; transfuderit famam nominis. Quibus quidem egregiis curis, quomodo semet, Aquilæ instar, altiùs evexerit; atq; ab ipsa quasi infantia fuerit eluctatus, in incubula piè Denati, tum in ulteriorem ætatem, (quantum è scriniis Ejus colligere licuit) sollicitius inquirere juvat. Natus est *Passenheimii*, oppido Prussiæ, Anno M. DC. XLIV. Patrem nactus Reverendum Virum, Dn. *Andream Hartknoch* / tum Diaconum, mox Pastorem loci; Matrem *Catharinam, Johannis Eshedarii*, Pastoris *Targoviensis*, in districtu *Ortelsburgensis*, Filiam. Infans lustratus Fonte, inter pietatem & innocentiam feliciter adolevit, nisi quòd cum adversa valetudine subinde conflictaretur. Quæ licet tenerum adhuc sæpe affligeret, tamen, quòd idoneâ maximè indole ad hauriendas literas videretur, maturè imbutus est tirociniô literarum in Schola Patria. Sed adolescentium studiorum ordinem non leviter interurbavit diritas illorum temporum, quæ strepente Marte, omnem illi in Patrio ludo subsistendi spem præcidit. Quippe Anno M. DC. LVI. quò per utramq; Borussia belli incendia grassabantur; incunte hyeme, non modò deserere Eum dulcissimam Patriam, sed & nî licentiam militis,

† *Lib. 2. Epist. 1.* †† *Vid Kirchmann, de Fun. Rom. lib. IV, cap. XIII.*  
††† *Horat. lib. 3. carm. od 30.* †††† *Tac. l. 2. Annal. c. 71.*

omne oppidum evertentis, sustinere mallet, fugâ saluti prospicere oportuit. Quòd ipsum quidem quàm ægerimè à prætexta ætate; ab afflictâ valetudine; deniq; ab animo domesticis malis confecto, impetraverit NOSTER, cogitari faciliùs, quàm verbis exprimi potest. Inprimis dolorem Ejus exulcerabat, præsentissimum, quòd vitæ in capienda fuga imminebat, periculum. Dum enim petulantissimus miles oppidum expilaret; pieq; Defunctus, metu instantis mali, à Rectore Scholæ, cui *Battalovio* nomen, (ad quem unâ cum commilitonibus aliquot, rerum incertis, confugerat) de muro oppidi, qui Scholæ contiguus erat, in subjectum lacum, muros alluentem, (nam alia evadendi spes non supererat) demitteretur; hunc ipsum, glacie malè incrustatum, ita calcavit CHRISTOPHORUS Noster, ut vestigia plerumq; falleret fracta glacies, fugientem faciliè absorptura, nisi tremulos gradus firmâisset DEUS. Quibus ex malis ut se emerferat, in novum incidit: utroq; Parente, quos Anno sequenti Epidemica lues extinxit, maturè orbatus. Neq; tamen ideo abjicere spes omnes, sed contra audentior ire HARTKNOCHIIUS. Sive Numinis Providentiâ factum est; sive indoli HARTKNOCHIANÆ, ad altiora quævis nata, adscribendum venit; desipit sanè atroces novercalis fortunæ insultus: neq; mitius eosdem elisit, quàm ventorum furorem eludit arbor, quæ fibris fusus per terram divisus, ipsam stirpem robore armavit. Ibat ergò, monstrantibus viam fatis; relamq; studiorum, ab injuria temporum subinde rescissam, retexere cœpit, Præceptorem nactus fidelissimum, *Andream Caspari*, Scholæ *Bartensteinensis* Rectorem, cujus auspiciis bienniô integrò ita excultus literis est, ut pro ætatis modo plus satis fecisse profectuum judicaretur, Quare altioribus studiis imbuendus, *Regiomontum* se contulit, primùm à *M. Henrico Bussenio*, Scholæ *Kniphovianæ* Rectore doctus; mox, Anno M. DC. LXII. Mense Juliô, Academiæ Civibus adscriptus, atq; à tot Clarissimorum Virorum, quibus se Inclucta hæc Academia effert, nutu, ore, facundia pendens. Triennium in Academia emensus, *Vilnam*, Lithvaniæ Civitatem, Anno M. DC. LXV. evocatus est, ut Rectoris partim officio, apud Augustanæ Confessionis socios; partim Substituti in Ecclesia defungeretur. Quibus dum suam operam, Anno, & quòd excurrit, pro virili addidit; lienis affectu, quem crebris sermonibus, ad populum pro suggestu habitis exasperaverat, fractus, *Regiomontum* pedem retulit; admotus inprimis spei *Illustris ac Generosiss.* Pubis à *Kalnem* / quam scitè dexterrimeq; efformavit: donec tandem Anno M. DC. LXXII. à Decano Spectabili Dn. *M. Jacobo Reichio, Eloqv. P. P.* Magister renunciatus, Scholas quoq; privatas aperiret, doctisq; Dissertationibus Academiæ Juventuti se apprimè commendaret. Ægrè tegitur ignis; & ei similia ingenia latere diu haut possunt. Itaq; jam se fama Viri spargere cœperat, HARTKNOCHIIUSQUE non uni Urbi & Regioni, sed passim celebrari. Quò factum, ut Anno M. DC. LXXVII. *Thorunium* vocatus, auctoritate *Amplissimi Senatûs* inter Publicos Gymnasii Professores cooptaretur. Quas partes, quâ fide, quò studio industriâq; decem his annis administraverit, boni gratiq; fatebuntur per se; maligni atq; ingrati vel invitè. Non Illi juxta fuit, Magistrum formandæ pubis audire duntaxat; nec re ipsâ talem haberi: aliud Illi ingenium contigit, mores alii. Obire decenter munia; assiduum frequentemq; esse in erudienda Juventute; prodesse maximis, mediis, infimis, adeò Illi cordi fuit, ut ne morbo quidem, à quo identidem laceffitus erat,

retrahe

retraheretur. Ac tamen si docta tussis Legentem sæpe interpellaret; depelle-  
re tamen sententiã nunquam potuit, quã sibi firmiter persuasum habebat,  
nihil æquẽ aduersari conscientia, quã lectionum negligentia florem Ju-  
uentutis retardare. Neq; verò, tantis licet circumseptus laboribus, licet ma-  
lis exercitus tantis, impetrare ab ingenio potuit, ut amplificandis literis de-  
esset, curasq; privatas exornandis Patriæ rebus subduceret. Quippe & *Pe-  
trum de Düsburg*, antiquissimum Prussiae Scriptorem, doctissimis notis in-  
terpolavit; & *Republicam Poloniae* eruditè conscripsit; & paucis abhinc  
annis *Res Prussiae Civiles*, partim, partim *Sacras* ita enucleavit, ut Historici  
amussitati Nomen utrobiq; indispiceretur. Atq; utinam par animo corpus  
Illi respondisset; nec res literaria tam faciliè in discrimen adducta; nec Gym-  
nasiũ istud tanto Magistro fuisset orbatum. Sed, ut diximus, à prima jam æ-  
tate conflictandum Illi cum morbis fuit. Et decennis quidem cum esset,  
ac corporis abluendi ergò, prope molam aquariam, in vicinum Patriæ flu-  
men paulisper descenderet, hujus alveò (neq; enim per infirmiolem æta-  
tem vel referre jam pedem, vel instantibus aquis reniti poterat) ita abre-  
ptus est, ut rotæ molari allideretur, quæ vorticibus undarum, unde æ-  
gerrimè divelli potuit, implicito, omnem pene spiritum elisit. Hoc Illi,  
ut conqvestus sæpe est, primum ad asthma iter fuit. Alebant præterea  
morbum tot vigilatæ noctes, tot dies concatenatis laboribus extracti, quo  
factum, ut dum immodicè adeo literas anhelaret, pertinaci tandem  
anhelatione laborare inciperet. Quare gravissimis subinde morbis ve-  
xatus est, quibus nunquam ita convalescere potuit, ut sibi constaret, &  
sui planè juris esset: adeo, ut cum vel optime habere videretur, dejiceretur  
non nunquam illico præter spem, & clinicus fieret, cum nihil hujus  
providisset. Decem admodũ menses sunt, ex quo pulmonis hoc malum  
magnã mole in Eum incumbere cœpit. Hoc tantas ei turbas dedit, ut  
quod de corporis humani membris antiqva *Menenii* fabula canit, id  
ipsi quodammodo venerit usu. Neq; enim quicquam alere intus videba-  
tur in corpore, quod non in ejus exitium atq; perniciem erigeret se, &  
conspiraret quasi: hinc exercente ipsum labore calculi; hinc mirã angustia  
pectoris incumbente. Ut nihil dicamus de plerorumq; membrorum de-  
bilitate, ac, quæ vitio pulmonum frequentissima Illi fuit, excreatione  
cruenta, quæ ipsum viventem pene & spirantem adhuc inter mortuos;  
computavit. Ad istam faciem cum comparatum videret corporis statum,  
frustra adhibentibus operam, solertissimam licet, peritissimis Medicis,  
intelligere faciliè poterat, nil esse super, quod conflictanti tot morbis, spem  
vitæ & valetudinis promittere possit. Itaq; sollicitis precibus adire Numen,  
sacros audire hymnos, & laborantem in corpusculo animam Verbo divi-  
no reficere. Donec tandem, vix auspiciatus novum hunc Annum, III. Jan.  
post horam octavam matutinan, tremuli instar ignis, piè ac placidè  
exhalaret; nec tam vivere, quàm spirare desineret: annos fere XLIII æ-  
tate emensus. Cujus funus dum ad Hor. I. efferendum, atq; in Æde ad B. V.  
ritu solenni humandum est, Vos in primis, Cives Gymnasilii hujus, omnes  
ac singulos, ut PRÆCEPTORIS vestri Exeqvias frequentes prosequi velitis,  
etiam atq; etiam adhortamur. P. P. ad diem VII. Januarii, Anno recupe-  
ratæ gratiæ M. DC. XXCVII.

